

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Spiritus sanctus d  
cum fonte primo

Porro ad faciendum bonum quidem in nobis bonus spiritus operatur. Profecto monet, mouet, et docet; monet memoriam, mouet voluntatem, et docet rationem.

Porro ad faciendum bonum quidem in nobis bonus Spiritus operatur? Profecto monet, et movet, et docet.  
Monet memoriam,  
rationem docet, movet voluntatem.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in die Pentecostes*, 1, 5 (SBO 5, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.163, ll.13-14).

Nec minimam paleam intra cordis quod possidet habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissime circumspectionis exurit spiritus dulcis et suavis.

Gregorius in moralibus.

Hanc sollicitudinem non facit nisi Spiritus Sanctus, qui scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum et intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimae circumspectionis exurit: Spiritus dulcis et suavis, qui nostram voluntatem flectat, immo erigat, et dirigat magis ad suam, ut eam et veraciter intelligere, et ferventer diligere, et efficaciter implere possimus.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in die Pentecostes*, 2, 8 (SBO 5, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.170, ll.18-23).